



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De præbendis & dignitatibus. Consilium CCXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

dem Apostolicam pertinentibus; ut est in reservatione, quæ fit per alternationes mensium, ratione mensium Apostolicorum: † Hoc enim casu ad Ordinarium nullo etiã temporis lapsu, quantumvis longo, fit conferendi beneficii devolutio; quia hæc regulariter non fit à superiore, & minime à Papa ad quemcumque inferiorem, c. *Licet De suppl. neglig. pralat. c. 2. De concess. præben.*

De Titio minor est dubitatio: cum enim Regia Catholica Majestas, ut Comes Flandriæ in Ecclesia Brugensi jus patronatus vel præsentationis numquam (ut proponitur) habuerit aut prætenderit: nullo juris colore sustineri potest, nec dicti Archiducis ex nomine Regiæ Majestatis facta hujus Canonici collatio: cum donatum censeri non possit, cuius donandi potestatem non habuit qui donasse dicitur, l. si filius C. de donat. c. *Quod autem in fin. de inepatronat.* Nec ea in parte juvare possunt Titium capitula pacis per Regiam l. *Deceimus C. de sacros. Eccles. Majestatem postmodum cum certis provinciis vel oppidis stabilita; per quæ dicti Archiducis collationes confirmantur: nam continent illa apertam restrictionem ad eas, quas istarum Regionum Gubernatores facere prius consueverunt, aut potuerunt: inter quas procul dubio referri nequeunt collationes beneficiorum vel officiorum, quæ ad Regem vel Comitem Flandriæ numquam pertinuerunt. Foret enim id valde absurdum, ut plus posset vicarius, quam Dominus principalis, l. *Qui in ius de reg. iur.**

4 Neque etiam eidem Titio suffragari potest aliquot annorum continuata hujus beneficii possessio: nam illa violenta, & absque titulo fuit, per meram intrusionem obtenta; ut merito ei prodesse non debeat. Ad exemplum ejus, quod per regulam Cancellariæ Apostolicæ de triennali possessore beneficii non molestando receptum est, ut locum non habeat in eo, qui per intrusionem factus est beneficii possessor, *Decius d. cons. 121. nn. 4. Lud. Comes ad reg. De triennali posses. in princ. & quest. 47.* Atque ita omnibus ritè perpensis existimamus jus Domini Octavij esse validum, ideoque eum alijs collatorijs præferendum, & ad realem possessionem admittendum; dicto Titio tamquam injusto possessore remoto, & præfato Sempronio non admissio.

De præbendis & dignitatibus.

S V M M A R I U M.

Collatio Custodiæ.

1. Vindicatio domino datur.
2. Collator beneficium ad suam collationem pertinens sibi retinere non potest.
3. Tabellionis scriptura fidem non meretur, nisi subscriptione & adiectione nominis proprii.
4. Interrogatorijs per examinatorem omisis, examen nullum est, ideoque publicatis testibus alij produci possunt.
5. Instrumenta qui adversario subtrahit est in periculo amittenda causa.
6. Citatio ad certum actum vel tempus facta ad alium non extenditur.
7. Citatio ad unum locum facta ad alium non extenditur.

8. *Libris censualibus seu registris alicujus universitatis creditur.*

9. *Instituto arguit beneficium seu officium esse Ecclesiasticum.*

10. *Consensus cuius requiratur in separatione vel erectione ecclesiarum.*

CONSILIVM CCXIX.

VT de re parva exiguaque utilitatis in hac causa adversus Ioannem Cloots contendit; ita quoque parum, imò nihil juris etiam in exiguo persequendo habet

M. Leonardus de Greve, hujus causæ Actor. †

Et quidem principio dum concludit, ut Reus à Custodia Ecclesiæ de Rythoeven manus amoveat, juris fundamentum nullum habet: similis enim est hujusmodi conclusio vindicationi, quæ non competit nisi ei, qui dominus est, l. *In rem actio de rei vindic.* Iam verò, ut res in proposito cadat, certum est ex propositione Actoris, eandem Custodiam ad Actorem non pertinere, eo quòd ipse tantum prætendat jus quoddam præminentiae, seu prærogativæ, ac velut collationis dictæ Custodiæ; ex quo vindicatio beneficii vel officij competere non potest. † Non enim potest Collator beneficium ad collationem suam spectans sibi retinere, sed velit nolit cogitur alteri conferre, c. 1. *Ut Eccles. benef. sine diminut. conferantur*; alioqui eo differente ultra tempus à jure præscriptum, potestas devolvitur ad superiorem, c. 2. c. *Quia diversitatem De concess. præben.* Cui consequens est, ut in proposito casu actor Custodiam ab alio possessam sic sibi vindicare non potuerit, sed debuisset (in quantum jus conferendi ad se pertinere existimabat) eam alicui conferre, atque illi vindicandi, persequendique potestatem relinquere: ita ut cum de jure collationis hæc non controvertat actor, sed de ipsa Custodia, quam à Reo evacuare petit, notoriè non sit fundatus. Vti etiam obtinere non potest in ea parte, quæ postea in progressu causæ aliquem annum censum petijt ex Custodia de Rythoeven: nam in primis ad id ab initio non conclusit, & sic nec de eo sententia ferri potest ad difformitatem sententiæ, & conclusionis vitandam, l. *Ut fundus D. Communis divid. c. Licet Heli & ibi Gloss. in V. formam De Simonia*: cum alioqui de jure alicujus census Actor nihil probaverit.

Porro ut etiam admittamus nihil peccatum esse in modo & qualitate concludendi; nihilo tamen magis fundata erit Actoris intentio: ob id, quòd non probaverit dictam Custodiam appendicem esse parochialis Ecclesiæ de Bergheyck, in quo tamen Actor præcipuum intentionis suæ fundamentum collocavit. Etsi enim duo postremi testes deposuerint de hujusmodi connexionem & annexione; nullum tamen probandi effectum habent ipsorum testimonia, varijs ex causis. Tum primo, quòd in actis non extet legitimum aliquod documentum hujusmodi eorum depositionis; puta publici alicujus Notarij subscriptionis aut signo notatum seu authenticatum, vel iudicis alicujus sigillo sigillatum: nam quod in actis reperitur tale non est, sed tantum sub manu privata descriptum, per partem ream nusquam in ulla parte actorum recognitum vel recognosci petitum.

scrip-

Scripturæ autem Notarij seu tabellionis nulla fides adhibenda, nisi adiectione proprii nominis & cognominis fuerit subscripta, in *Aurb. de tabellionib. col. 3. l. 2. in verb. tabellarius non subnoxiavit De conven. fisci debet. lib. 10. Bald. in l. 3. C. Quando fisci vel privati debet. glos. in l. Generali C. de tabel lib. 10. Doct. in l. Contractus C. de fide instrum. Sed ut constaret totam illam testificationis scripturam à capite usque ad finem, scriptam fuisse manu Notarij, nihilo tamen plus probaret aut utilis esset actor: quia licet in privatis personis parum vim habeat, si quis scripturæ subscripserit, siue totam tantum scripserit, etiamsi non subscripserit, l. Cum antiquitas C. de testament. in Notario tamen ac publica persona seu tabellione idem receptum non est, sed requiritur omnino eius subscriptio, *Castren. Alex. Ias. & alij in d. l. Cum antiquitas*, atque etiam ex generali ac ubique obtinente consuetudine, imò & ex juris dispositione signum, *felin. in c. 1. & in c. Cum tabellio De fide instrum. Imol. in l. Ad testium §. si quis De testam. sic ut ob omissionem huiusmodi à jure requisitam solemnitatem, instrumentum fidem non faciat.* * Tum secundo, quod prædicti duo testes sint examinati non propositis per Notarium interrogatorijs, quæ pro parte Rei quinque mensibus ante erant exhibita: est enim quod inde examinatori imputetur, cur vel dolo vel negligentia secundum interrogatoria proposita testes non fuerint examinati, c. Per tuas de testib. c. 2. §. testes De testib. lib. 6. Et in proposito quidem casu proficit ista omisso non tantum ad eum finem, ut liceat Reo etiam post publicata & didicita dicta testium, petere illorum recollectionem & interrogationem super huiusmodi interrogatorijs, *Io. Andream d. §. testes Alex. cons. 172. Visi & oportum nu. 9. vol. 2. verum etiam ad finem nullitatis productionis & examinis eorundem, maxime propter præcedentem protestationem, quam procurator Rei in capite & initio huiusmodi interrogatoriorum fecit, si interrogatoria omitterentur; quodque non tam negligentia examinatoris, quam facto Actoris ista omisso contigerit. Cum enim de putatus examinator non fuerit. Notarius causæ, debet Actor curare, ut perinde interrogatoria illi traderentur, ut articuli: ita ut quamvis negligentia Notarij non inducat nullitatem, *Alex. d. nu. 9. negligentia tamen & factum partis producentis id operari soleat, quasi per eam Reo ista***

5 commoditas sit subtrahita; sicut receptum est de eo, qui cum parti adversæ instrumenta subtraxisse reperitur, periculo amittendæ causæ subijcitur, l. Sub pretexto i. C. de transact. Potissimum hic, quia ex notulis seu terminis actorum nunquam conperitur Reum ad productionem faciendam in loco, ubi dicti duo testes examinati fuerunt, citatum fuisse, ad quem tamen necessario citari debuisset; adeo ut ea in parte sufficere non possit citatio ad comparandum in domo Notarij causæ facta: * quia citatio ad unum locum facta, ad alium non extenditur, ut nec de hora ad horam. Ideoque aureis litteris notandum dixit Bartolus, in l. Aut qui alter in princ. & l. fin. D. Quod vi aut clam, quod quando aliquis citatur ad aliquem actum certa hora vel certo tempore faciendum, & alio tempore actus expeditur, citatio

resolvatur ac non valeat, & actus sine citatione præcedente factus dici debeat; * quod equidem & ad locum extendendum est, ut ad unum locum facta citatio, resolvatur & pro nulla habeatur, si alio loco actus exercetur, *felin. in c. 1. nu. 22. De indic. Et sic propter defectum citationis, huiusmodi duorum testium productio & examinatio censeri debet nulla, cap. 2. & ibi Felin. nu. 3. De testib. l. si quando in fine & ibi Doct. C. de testib. Tertio omisis his nullitatum tendiculis, fidem non merentur isti duo testes, quod soli adversus alios omnes numero plures ab actore productos nimis asseveranter deposuerint de hac annexione & identitate ejusdem Custodiæ: nam alij isti deposuerunt dictam Custodiam de Rythoven esse separatam officium seu beneficium; addita bona distinctione aliarum appendicum, quas tantum matriculariæ de Bergeyck tamquam matrici annexas esse testificantur: quibus ea in parte potius credi debet, quod magno numero alijs sint potiores, l. Ob earum §. si testes De testib. c. In nostra cod. tit. & probationibus per Reum factis eorum deposito satis sit contentanea. Probavit namque Reus per extracta ex publicis Regestis Archidiaconi in rescriptione beneficiorum, separatim relatum & rescriptam esse hanc Custodiam, non ut appendicem, sed seorsum & per se, sicut alia beneficia intra limites dictæ Ecclesiæ de Bergeyck fundata. † Quibus Regestis fides adhiberi debet, tum quod publica sint, scripta ab his, qui publico munere funguntur, uti de jure fides adhibetur libris censualibus Capitulorum & aliarum universitatum, l. Censu de probat. c. Ad audientiam i. & ibi felin. ac alijs de rescriptum quod Actor ipse ad rescriptiones Curati de Bergeyck sese retulerit in eo quod Ecclesia de Rythoven sit appendix Ecclesiæ de Bergeyck, Confirmantur præmissa ex diversis præstationibus & institutionibus diversorum, qui ad dictam Custodiam ab immemoriali tempore per continuam serie per Pastorem seu Curatum de Bergeyck præsentati & in ea instituti sunt: * Inde enim præsumptio annexionis discuitur; quia institutio arguit beneficium seu officium esse Ecclesiasticum, c. 1. De reg. iur. lib. 6. & specialis præsentatio Curati excludit potestatem Custodis. Ita ut cum novissime vacanti dictæ Ecclesiæ eo modo sit provisorum per præsentationem Curati, & institutionem Archidiaconi, & antecedentes provisiones & institutiones sint illi conformes, nulla prolata provisione vel institutione majoris Custodis, nunc quoque in persona Rei id sit servandum, excluso Actore, c. Consultationibus De iure patron. Et sane si tante adhuc annexione appendicis Ecclesiæ de Rythoven dicta Custodia fuit separatam beneficium à Custodia de Bergeyck; nunc quoque facta separatione multo magis eodem jure censeri debet; & si tunc jus conferendi ac providendi dictæ Custodiæ penes Custodem non fuit, multo minus nunc esse debet. Detrahit enim plerumque, non adjicit separatam divisionem, ac dismembratio Ecclesiarum. Unde frustra disputatur de separatione Custodiarum & ejus nullitate; frustra item de non requisito consensu Custodis de Bergeyck in dicta separatione Ecclesiæ de Rythoven à matrice Ecclesiæ de Bergeyck; cum ejus non inter fuerit: & in consequentiam*

consequentiam separatæ Ecclesiæ, non fuerit inducta separatio Custodiæ iam antea multo tempore separatæ, seu potius nunquam unitæ. Neque quicquam pro interesse Custodis de Bergeyck fundando facit, quod olim cum utriusque Ecclesiæ connexio ac unio staret, Custos matricis Ecclesiæ in administratione primi & ultimi sacramenti aliquid commodi soler perciperet: nam id tantum pro opera personali præstatur, non iure beneficii seu officij; quod inde colligitur, quod ante dictam separationem Ecclesiæ, non comparante Custode eodem Curato, nihil exigi poterat nomine Custodis; uti testes Actoris liquido deponunt. Ita ut cessante causa huius perceptionis, hoc est opera & ministerio, cessare quoque debeat emolumentum, l. *Eum qui intravit in princip. & ibi Bare. & Tasi. De iureiur.* Et quamvis operæ subeunda occasio sit sit præcepta Custodi matricis Ecclesiæ; id tamen ad ius eius referri non potest, sed tantum ad fortuitas obventiones. Et toto talo errat Actor, dum in separatione vel novâ erectione Ecclesiarum, etiam Custodis consensum requiri putat; id enim iure nusquam constitutum est, satisque est, si pro honore & prerogativa Ecclesiæ matricis seu illius Curato ex nova & separatâ Ecclesiâ per Episcopum aliquid referretur. Ad audientiam 1. & ibi gloss. & Panor. in fin. de Eccles. adf. vetus. & buff. in praxi benef. parte 1. sub titul. De erect. in curatum. eum alioqui Episcopus etiam citra Curati consensum, & sine ea reservatione ex iusta causa separationem hanc facere possit, Panor. in d. c. ad audientiam nu. 16. argumento Clement. 2. De rebus Eccles. non alien. Sed super vacuo labore de hoc disputatur, cum, ut diximus, separatio nulla facta sit Custodiarum, quæ nunquam unitæ vel conjunctæ fuerunt. Eo itaque res recidit, nihil solidi esse, unde Actoris petitio sustineri aut probabilis effici possit; nihilque occurrere, cur Reus ab Actoris impetitione absolvi, & Actor Reo in omnibus expensis ambitiosæ litis condemnari non debeat.

De Præbendis & dignitatibus.

SYMMARIUM.

Collatio beneficii per turnum.

1. Collatio ad Capitulum pertinet singulorum non est.
2. Turnus non mutat collationis potestatem.
3. Expectativa ad collationem Capituli concessa extenditur ad turnarij collationem.
4. Collatori Ecclesiastico variare non licet in sua collatione.
5. Error communis ius facit.
6. Error communis ubi toleretur.
7. Collatio vltima inspicit debet.

CONSILIVM CCXX.

FACTI species pro parte honorandi Domini Rumoldi Raynerij sacre Theologiæ Licentiatii proposita, elegantem ac subtillem habet tractationem, quoad eum articulum, num collatio parochialis Ecclesiæ beatæ Mariæ Civitatis Mechliniensis per Venerabilem D. Antonium Couthout Archiepiscopalis Ecclesiæ Mechliniensis Canonicum, dicto Domino Rumoldo facta, rata & valida sit? Nam quam-

vis altiore indagine habeat, num verè commissus sit error in nuncupando Dominum Antonium ad turnum conferendi; hoc tamen verum est, præsupposito etiam huiusmodi errore, nihilo magis injustam aut invalidam esse huiusmodi collationem, quam idem Dominus Antonius in designato, & ex totius Capituli consensu deputato sibi turno fecit. † Constat equidem quod cum ad Collegium seu Capitulum aliquod pertinet alicujus beneficii collatio, singulorum Canonicoꝝ non sit collatio, sed omnium coniunctim; sic quod unus collatio sine alijs non valeat, Panor. in c. Cum Ecclesia De elect. Sed quia facilis & proclivis est inter multos dissensio, l. Item si unus §. principaliter De recep. arbitr. obtinuit quod Capitula ex statuto vel consuetudine vicarium deligant, qui vice totius Capituli conferat, Philip. Francus in c. fin. nu. 1. De præben. lib. 6. aut turnum constituent, quod singuli Canonici per ordinem & singulas septimanas aut menses conferant, d. c. fin. & ibi Francus nu. 3. in fine c. Cum in illis eod. tit. lib. 6. * quo quidem casu etiam si vicarius vel Canonicus hebdomadarius conferat, collatio tamen non dicitur esse illius Canonici, in cuius turnum cadit vacans beneficium, sed totius Capituli; quasi turnarius seu hebdomadarius Collator vice & ex mandato Capituli conferat. † Indeque est, quod si expectativa gratia alicui concessa sit ad collationem alicujus Capituli, vigore ejusdem acceptari possit beneficium vacans ad collationem turnarij seu hebdomadarij, quia ad turnarium pertinet non proprio nomine, sed contemplatione & vice Capituli, d. c. fin. & ibi Domin. nu. 7. & Francus, nota decis. 119. Nota quod ubi aliquis, alias est 4. sub tit. De concess. præben. in antiquis. Sic quod huiusmodi ius hebdomadale seu turni sit variabile ad nutum Capituli; possitque etiam per alios de mandato Capituli exerceri, Domin. d. nu. 7. ideoque oporteat magis inspicere mandatum, ordinationem, seu deputationem Capituli, quam ipsius hebdomadarij.

Quo constituto, dicimus errorem, qui D. Antonio hebdomadario obijcitur, quasi non ipse, sed alius hebdomadarius pronuntiari debuisset, dicto M. Rumoldo nihil obesse: ob id, quod collationem habere censeatur ipsius totius Capituli, factam & explicatam per dictum D. Antonium, velut instrumentum ex speciali mandato & jussu ipsius Capituli, per dictam pronuntiationem more solito in pleno Collegio dato & facto. Ita ut verissimum sit, Capitulum semel contulisse, & nominando alium hebdomadarium, non potuisse hunc utiliter alteri conferre; * quia post collationem variare Collatori & præsentatori Ecclesiastico non licet, & nequidem ante collationem admissam vel confirmatam per Canonicam institutionem, c. Cum autem & ibi Panor. de iure patron. Cardin. in Clem. de supplen. neglig. prælat. Ioan. Monachi in d. c. fin. nu. 6. de præben. lib. 6. Quod tanto potentius obtinere debet; ob id, quod nihil curandum sit, quem Capitulum ad collationes occurrentes faciendas nominaverit, sive Canonicus fuerit, sive non, vult. in d. c. fin. quia debet sibi Capitulum imputare, quod in nominando & pronuntiando turnarium seu hebdomadarium er-

rave-